

Rite colunt Musas , & rustica carmina dicunt
Insontes) sese pastoribus inseret , atque
Abiiciet sceptrum , & posito diademe , & ipso
Nomine mutato , cultu gaudebit agresti .

Idne fieram ? Jamdudum alto qui debitus Axim ,
Confusus turmis lateat silvestribus Heros ?
Haud equidem . Fragili necdum compage soluta
Membra unum , nec morte obita (frangam omnia jura
Scilicet , atque novæ reddam nova præmia laudi),
Nec terris raptum Djs immortalibus addam ,
Djs , qui regna tenent cælestia , Cælicolasque
Sublimem primos inter super æthera sedem
Educam , quo se terris attollere ab imis
Cum libet , & pura considere possit in aura ,
Cumque libet terras iterum descendere ad itmas
Unde queat , curæque suæ concredita regna ,
Divino Arcadicos tutari & numine cœtus .

Sic ait , & Stygiæ jurat per stagna paludis ,
Fulmineaque notat felicia cuspide fata .

Hæc igitur promissa dies . Deus additur Astris
Euthymius , fronti Divinum aspirat honorem
Jupiter , & flammis ardent cælestibus ora .
Læta novum merito numen veneratur honore
Arcadia , & festis implet clamoribus antra ,
Jamque parem Phœbo , paribusque per æthera , terrasque
Ardentem radiis celebrat : jam vota volenti
Exhibit ; ac pictos attollens pariete vulius
Præsidium petit , & fœcundam in carmina venam .
Annuit , & muta divinam ab imagine lucem
Ille vomit : fulget radiis ardentibus antrum ,
Et nemus , & sacri fulgent capita ardua montis .

